

## De testudine aurea

Quotannis eodem tempore bestiae et animalia magica in insulam parvam inter continentes conveniunt, ut in maximo concilio consultetur, quae facienda sint. Serpens ex parva quadam Africana natione legata quodam nubilo die mane, dum superba circumspicit turbam, dixit: „Mihi aliquid est proponendum.“ „Quidnam?“ corcodilus Aegyptius oscitans se praeparavit ad pauca verba facienda, quae utilia viderentur - reliquo concilii tempori indormiturus. „Quod hodie nobis disputandum est“, serpens interrita stridere perrexit, „hoc est: Nos alter alterum non comprehendimus. Doctissimi tantum populi nostri pluribus quam duabus linguis loqui possunt neque umquam eisdem.“

Bestiae, quae has difficultates iam saepius circumierant et vitaverant – non enim iuvabat id cogitare, quod responderi non posset – nunc summa vi coactae trepidis pedibus solum calcare et susurrare inter se coeperunt.

„Et porro?“ pumilio Hibernicus incertus rogavit aureamque ollam vertit, ut consideret (propter pessimum oeconomiae statum nihil inerat nisi bulla quaedam). „Nonne omnia ad hoc tempus nobis bene evenerunt?“ „Non est verum!“ constituit ovis ex Caledoniae saltibus, quae concilio intererat pro Nessicula gravedine laborante. „Nobis non est facultas nuntios alicuius momenti transmittendi. Coalae in alia silvae pluvialis parte nesciunt aliam partem inflammata esse. Pisces pollutione aquae aliis in terris orta pereunt, quod nemo pestem oleariam venturam eos docuit.

Nobis autem hoc concilium habentibus quotannis sortiendum est, qua lingua in consultationibus usuri simus. Id tibi est ‚bene evenire‘?“, ad verba confirmanda balavit et ruminans accubuit.

Dum paulisper erat silentium, in quibusdam bestiarum inertiorum mentibus consilia oriebantur imperitam ovem necandi.

Tum leo Arabicus animo certo prodiit. „Meam linguam“ inquit „eligamus!“ et manu sublata unguis ita intuebatur, ut omnes viderent.

„Quod sum fortissimus, celerrimus, maxime nostrum periculosus. Est ius naturale fortissimum quemque semper victoriam parere. Ita res persoluta esset. Unusquisque meam linguam discet, ut nos invicem comprehendamus.“

„Minime vero“, respondit lacerta, quae unde venisset nesciebatur. „Mea lingua loquemur! Stemma meum amplissimum est, ex dinosauris prognata sum, pro tali maiorum multitudine recte decernere possim!“

Turba murmurans applaudere coepit, lacerta autem despiciens oculos in leonem coniecit.

„Qui non mea?“ altissima vox audiebatur tumultui obstrepitura, et cum rhinoceros viam dedisset, cuniculus apparuit. „Fertilissimus sum, ita erit lingua meae nationis.“ Ora hyaenae, cum risisset, a zebra quadam pede calcata sunt.

„Sum idem fertilissimus, meam linguam eligamus!“ mus quidam cautissime dixit.

„Sum idem“, wombata et antilopa simul clamaverunt. „Sum idem...“, fremuit leopardus.

Mox apparebat omnes bestias, omnes nationes suam linguam velle eligi, quae ab omnibus disceretur, neque quemquam ne passum quidem regredi paratum esse, ut opinioni vicinorum appropinquaret.

Testudo quaedam parva ex nulla natione legata, sed illam insulam inhabitans clamore audita tarde - ut testudo - ad concilium repere coepit. Postquam advenit, locum illius regionis sum-

mum quaesitum ascendit. „Tacete!“ Bestiae clamore ingentissimo contremuerunt, omnes tamquam lino tractae parvum punctum in lapide magno defixis oculis intuebantur. Testudo contenta surridens maximam ipsius vocem laudans „Censeo“, alta voce explanavit, „mihi esse facultatem quaestionis vestrae persolvendae.“ Iterum hyaena risit, sed ad tempus pede ora dolentia textit, ne iterum calcarentur.

„Qui non creare linguam novam?“, testudo in rupe continuavit. „Qui non creare linguam facilem ad discendum, facilem pronuntiatu, ad usum omnium orbis terrarum animalium? Linguam nullam nationem postponentem, nulli faventem?“

Intuebatur bestias perturbatas sub rupe oculos in se defigentes sperans fore, ut, quod proposuisset, acciperetur. „Et quomodo“, leo stomachans tarde incohavit, „istam linguam creabimus?“

Testudo triumphans manum movit, nam per diutinum in concilium iter id ipsum studiose meditata erat. „Vobis“, inquit, „explicabo“, et multas horas orationem continuabat; quo plura autem verba linguam explicans fecit, eo plures bestias sibi conciliavit.

„Optime!“, corcodilus animadvertit. „Mirifice!“, leo dixit. „Testudo nobis praemio afficienda est“, constituit pumilio Hibernicus. „Sane!“, aliae bestiae assensae sunt. „Sed quomodo?“

„Ego id sustineo!“, vox certa ex turba audiebatur et maga Hollywoodiana Americana natione legata stridore quodam in lapidem volavit, in quo testudo consederat. Virga magica sublata et aliquot verbis magicis dictis corpus parvae linguificis imbre aureo tegebatur, quoad a capite ad pedes auro implicaretur.

„Nunc te semper nostram maximam adiutricem recognoscemus et omni concilio interesse tibi licebit“, declaravit illa turba sub rupe applaudente.

„Bene est, bene est“, maga capite inclinato ad suam pristinam sedem revolavit. Testudo autem in summo lapide quam latissimo ore potuit subridens constituit se omnino contentissimam esse.

*Fabulam veram Katharina von Radziewsky narravit mense Junio MMIII, in linguam latinam convertit Ulf Schwedas.*